

mis. Demque, si nobis et pro nobis Christus omnia sua dedit, corpus percutientibus, genas vellentibus et conspuentibus, manus ligantibus et fodientibus, etc. quomodo non vicissim Christo in pauperibus dabimus quæ petit longe viliora?

Quarto, modestiam et humilitatem: siquidem sanitatem cæco impertitam non suæ virtuti adscripsit, sed fidei potius cæci, dicens: *Fides tua te salvum fecit*. Simili modo cum alicui benefecerimus, non id nobis imputemus, sed Deo potius vel pauperi. Dicamus imprimis: *Fecimus quod debuimus, servi inutilis sumus*. Dedimus quod superfluit nobis, adeoque nostrum non fuit, sed pauperum. Imo reddidimus Deo sua.

Secundo, parum est quod dedimus: pecuniam dedimus, lutum dedimus. Numquid visum tibi restitimus? Numquid sanguinem pro te fudimus uti pro nobis Christus? Ita S. Joannes eleemosynarius, cum de effusa in pauperes liberalitate commendaretur, dicere solebat: *Frater nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus*.

Tertio, major est virtus tua et meritum tuum, o pauper, quam meum. Quis enim non malit abundare ut pauperibus tribuat, quam egere ut accipiat? Quis non malit morbum curare, quam sustinere? Paupertatem tollere, quam tolerare?

Quarto, plus a te accipio, quam dono. Tu enim tollis a me onus grave et spinas divitiarum, vis quoque partem oneris illius, quod in via salutis me retardat, in te suscipere. Deinde, tollis a me debita peccatorum meorum, cum tibi impendo debitum charitatis. Ad hæc ego tibi nummum, tu mihi donas cælum.

Denique, alia sunt iudicia Dei, alia hominum. Tibi videor munificus, Deo forsitan parcus.

II. A cæco discimus primo, interrogare de iis rebus præsertim spiritualibus, in quibus cæcutimus, ut ita audiamus, quæ non possumus videre. Ita enim cæcus, cum nesciret quid sibi vellet strepitus prætereuntium, *interrogavit quid hoc esset?* Audiverat jam ante quis et quantus esset Christus medicus morborum (tanta erat fama miraculorum Christi, ut etiam cæcis in via sedentibus cognita esset!) ideo ejus presentia intellecta mox eum invocare cepit; sed nesciebat illum nunc transire. Hoc ergo auribus discere studuit, quod oculis non potuit. Mirum sane est, si quis adhuc non videt, ubi, seu in qua Ecclesia Christus sit; quod si tamen aliquis hæresum erroribus ita excæcatus est, ut hoc non videat, imitetur cæcum istum, et interroget videntes, quos cum Christo ambulare advertit, hoc est, pie et christiane vivere: non cæcos, simili hæreseos caligine invo-

lutos. Rursum si quid occurrit in ss. litteris difficile aut obscurum; non præsumat id auctoritate propria exponere, sed audiat a videntibus. Cæcus duce indiget, alioquin in foveam cadet. Et propterea plerique in hæresin abducti sunt, quia docentem se Ecclesiam audire noluerunt: seipsos regere voluerunt. Denique, si quis dubitat in rebus conscientiæ, num in hoc vel illo præcepto offendant, interroget superiorem seu confessarium suum, quid hoc vel illud sit; peccatumne an nullum: mortale an veniale. Quam multi ex hac interrogandi negligentia offendant per quadragesimam, dum secum ipsi dispendant in Ecclesiæ præcepto inconsultis confessariis!

Secundo, captare occasionem aucupandæ salutis per pœnitentiam et bona opera. Ita enim cæcus audiens transire magnum illum medicum, Christum, non neglexit semetipsum, sed illico exclamavit et opem ab eo petiit. Ergo quoties juxta nos transit Christus, offerendo scilicet nobis occasionem captandæ salutis et promerendæ gloriæ, mox eam apprehendamus. Sic milites ad pugnandum, mercatores ad lucrandum occasionem sedulo captant. Sic apibus, cum per cælum licet, nullus dies otio perit, ut scribit Plinius, lib. XI. cap. IX. Porro optima occasio salvandi animas nostras offertur nobis in quadragesima. Ibi enim occidit nobis Ecclesia: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Ibi transibit juxta nos Salvator. Non negligamus ergo nos ipsos; sed apprehendamus disciplinam, pœnitentiam et corporis afflictiones.

Tertio, perstare in cœptis virtutum operibus, nec curare obtrectatores, quod videmus fecisse cæcum, qui increpatus a prætereuntibus ut taceret, multo magis clamabat; flagrabat enim desiderio recuperandi visus, ideo contempsit eos qui obstabant. Modicus ignis a vento extinguitur, magnus ab eodem accenditur: ita tepidi Christiani, cum audiunt oblocutores, a bonis propositis et cœptis facile resiliunt: fervidi vero magis inflammantur, et cum palma ponderibus impositis obnituntur. Tales porro his potissimum diebus, quibus turba insaniens et pene totus mundus obstat, pietatem et modestiam sectari volentibus, præstare nos satagamus. Dicet enim: Quid tu nunc orationi vacas? Quid tibi nunc cum confessione et communione? Num tu solus sapias? An fortasse nos non sumus Christiani? etc. Spernamus velut aquilæ corniculas obstrepentes; ad Deum agonothetam attendamus, a quo solo bravium expectamus. Non cessavit David ludere ante arcam propter uxoris irrisionem: sed alacrius perrexit, II. Regum VI. ita et nos

hoc triduo non desistamus a piis exercitiis, licet mundus nos irrideat: sed rideamus irrisorem. Mundus hoc tempore jubet ut cum insanientibus insanus et cum cæcis cæcus fias, ut exuta fronte et honestate baccheris et lascivias; tu vero si sapias, cum cæco nostro pete potius a Deo, ut videas. Ut videas, inquam, quæ supra te, Deum omnia intuentem et suo tempore judicaturum: quæ infra te, mortem et ignem æternum, bacchantibus paratum: quæ intra te, peccata tua et conscientiam tuam, num scateat erroribus, et quomodo eos emendes: quæ extra te, mundi et diaboli laqueos, qui hoc potissimum tempore undique tensi sunt pedibus insipientum.

Quarto, sequi Christum et magnificare Deum post accepta beneficia, quemadmodum fecit cæcus. Nemo nostrum est, qui non a Christo spiritualiter illuminatus sit, per fidem videlicet, et præterea alia innumera acceperit beneficia. Ergo merito etiam sequi eum debemus. Primo, jussis ejus obtemperando et superioribus, quos nobis dedit; secundo, vitam nostram quantum fieri potest conformando vitæ ejus tamquam regulæ vivendi. Quidquid agere vel loqui volumus, adhibeamus prius regulam, quemadmodum murrarii solent, cum lapidem ponunt ad structuram; cogitemusque quomodo hoc Christus fecit? Itane locutus est? Vel quomodo hoc fecisset?

Deinde, ejus laudem omni vita celebremus, quod primo ei debemus, quia Deus est infinita majestas omneque bonum omni laude dignum. Secundo, quia innumera beneficia contulit in nos et confert incessanter. Tertio, quia omnes creaturæ etiam irrationales suo modo enarrant gloriam Dei, hominemque ad ejus laudem excitant. Denique, quia hoc est perpetuum munus et officium angelorum et beatorum omnium in omnem æternitatem Deum collaudantium; quod in terris æmulantur et imitantur justi etiam in afflictionibus suis: uti David in persecutionibus, Job in suis miseriis, tres pueri in fornace. Laudatur porro non una sed variis rationibus. Primo, voce, verbis et hymnis: ut cum dicimus: *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto*: et cum decantamus hymnum: *Te Deum laudamus*, etc.

Secundo, vitæ innocentia, cum peccata omni studio vitamus ne Deum offendamus; siquidem illa summa Dei contumelia et vituperium sunt.

Tertio, studio virtutum et rectis actionibus offerendo eas ad Dei gloriam. Ita S. August. in Psalm. XXXIV. *Suggero, ait, remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age; et laudasti Deum*.

Quarto, celebratione sanctorum necnon aliarum Dei creaturarum et effectuum, in quibus utique laudatur ipse artifex Deus.

Quinto, patientia persecutionum pro Dei gloria sustentarum, et imprimis gratiarum actione pro iisdem et aliis ejus beneficiis. Quia tandem non solum cæcus, sed omnis plebs, ut vidit cæcum illuminatum, dedit laudem Deo: decet ut et nos laudem Deo demus pro beneficiis quæ a Deo accepere nostri proximi. Verbi causa, hoc tempore cum videmus paulatim veræ fidei luce collustrari nationes hæreticorum aquilonares, hæresimque extirpari. Dicamus ergo cum turbis illis celestibus, Apoc. XIX. *Alleluia, salus et gloria et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna (hæresi), quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus, etc.*

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Quomodo ascendit Christus Jerosolymam? I. Assumit duodecim apostolos. 2. Præcedit illos. — II. Cur discipulis prædixit suam passionem? — III. Cur secreto prædixit? — IV. Cur toties passionis suæ meminisset? — V. Quomodo apostoli non intellexerunt eum? — VI. Quare vocat se Filium hominis? — VII. Quare a cæco vocatur Filius David? — VIII. Cur interrogat cæcum: Quid tibi vis faciam? — IX. Quid mystice hic cæcus?

THEMA.

Interrogabat quid hoc esset. Luc. XVIII.

Cæcorum est, auditores, multa interrogare. Cum enim oculorum sensu, omnium præclarissimo, destituti sint, per aures discere volunt: quod et cæcus iste fecit, qui turbam prætereuntem audiens, scire voluit quid hoc esset. Cui quidem cæco bene nos assidere possumus et una cum ipso non solum interrogare, sed et mendicare. Cæci enim sumus nos; tum quia Christum Dominum jam oculis non cernimus; tum quia in mysteriis divinis et, quæ de ipso scripta sunt, evangeliiis, plerique cæcutimus. Itaque interrogemus, quod nescimus: discamus auribus, quod oculis non possumus: mendicemus a Christo Domino nostro lumen intelligentiæ, quo caremus, ut videamus et intelligamus, quæ in sacris eloquiis de ipso scripta sunt. Audimus in hodierno evangelio prætereuntem et ascendentem in Jerusalem Christum, apostolos, turbam, illuminari cæcum, aliaque plura. Interrogemus, quid hæc sint?

I. Quomodo Christus ascendit Jerosolymam ad suam passionem? Respondetur, primo, assumpsisse eum duodecim apostolos, ut scribit thæus, Marcus et Lucas: quo nimirum ip-

essent eorum, quæ in passione Dominica Hierosolymis gerenda erant. Assumpsisse vero dicitur: primo, quia timore consternati apostoli, ut testatur Marcus, Hierosolymam alias ascendere ausi non fuissent, quia norant ibi Christo insidias parari: assumi ergo debuerunt, qui ascendere non poterant viribus suis, quo fere modo dicimus B. Virginem ad cælos esse assumptam, aliena scilicet ope; Christum vero ascendisse, propria nimirum virtute. Secundo, quia velut aquila assumpsit eos quasi pullos in alas suas, dum paterna sua providentia eos protexit et subvexit ad ultimam cœnam Hierosolymis instituendam et passionem suam spectandam, sicut pater assumit filium ad militiam ut in ea exerceatur. Vel etiam sicut aquila evehit pullos in sublime ut solem contueantur et indolem suam ostendant: ita assumpsit Christus discipulos et evehit Hierosolymam, in montem Oliveti et Calvarie, velut in theatra sui certaminis, ut eorum virtutem ibi comprobaret. Hac oratione, Deuter. XXXII. dicitur Israellem eduxisse per desertum in terram promissionis: *Assumpsit eum atque portavit in humeris suis*. Tertio, quia ad patiendum ultro venit, assumi debemus et adigi divinoque auxilio roborari.

Respondetur secundo, præcedebat illos Jesus, ait Marcus. Primo, ut ostenderet se ultro nemine cogente, imo et alacriter pergere ad passionem suam. Velut enim fortis athleta quæsit hostem suum, mortem, cum qua luctari debebat. Fugimus nos mortem, et ipsa quærit nos: at Christus eam quæsit et provocavit ad certamen, quæ alioquin ipsum nec invenire potuisset, nec invadere ausa fuisset; proinde nec ab ipso devicta et triumphata foret. Sciebat nimirum se mortis domitorem esse juxta prophetiam: *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne*. Nos quia plerumque in nobis gerimus, in quo succumbere meruimus, ideo mortis morsum timemus. Studemus ergo innocentie, et poterimus cum Christo morti obviare eamque provocare. Secundo, ut ad sui sequelam et passionem participandam provocaret apostolos, qui, ut ait Sanctus Marcus, *sequentes timebant*. Ergo magistri exemplo erigi et animari ad crucis et passionis delibationem debuerunt, quod hic præstat optimus dux, præcedens ad prælium milites. Id quod et olim fecit populo Hebræorum, Deuter. XXIII. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, etc.* Tertio, ut exemplum daret rectoribus et pastoribus, quo et ipsi bono exemplo præirent suis subditis et oviculis, ad aspera præsertim virtutum opera et parati essent etiam mori. Talis erat Sanctus Paulus, qui do-

lentibus et flentibus ejus clientulis perrexit Hierosolymam passurus multa adversa, Actor. XX. et XXI. Unde aiebat: *Quid facitis flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu*. Talis S. Malachias archiepiscopus Hibernie, qui teste S. Bernardo, in ejus vita, dicere solebat suis: *Non recuso mori, ut vos vitam meam teneatis exemplum*. Erat enim ipse regula fratrum, legebant in vita ejus quomodo conversarentur, ait S. Bernardus. Denique *optima ovium pascua sunt exempla pastoris*, ait S. Gregorius, I p. pastor. c. III.

II. Cur discipulis prædixit suam passionem? Resp. primo, ut intelligeremus illum sponte sua crucem et mortem subire, utpote quam prævidens fugere posset si vellet.

Secundo, ut sciremus nihil eorum, quæ passurus erat illum latuisse, adeoque scientem ac volentem omnia passum esse ex arcano divini consilii; indeque colligeremus non solum ejus sapientiam divinam, qua omnia accuratissime secundum omnes circumstantias præciret, verum etiam amorem erga nos immensum, ut qui propter nos non mori solum, sed etiam tam atrocia a se prævisa tormenta perferre non dubitaret.

Tertio, ne apostoli nimium percellerentur tristissimi spectaculi novitate et inaudita magistri passione, adeoque ex crucis ignominia ne scandalizarentur. Tametsi vero hanc prædictionem tunc nondum intelligebant, postea tamen cum impleri cœpit, explicate cognoverunt.

Quarto, ut cum impleta cernerent, quæ de passione prædicta erant, crederent etiam, quæ adjuncta fuit Christi resurrectionem. Noverat enim Dominus ad hujus fidem apostolos difficiles futuros; quare hæc prædixit, ait S. Chrysostomus, homil. LXVI. in Matth. *ut cum tristitia venisse viderint, certiore spe resurrectionem expectarent*.

III. Cur secreto hæc eis prædixit, teste Matthæo? Respond. primo, quia apostoli in fide ac charitate erant fundatior, nec tam facile ac reliqui scandalizabantur.

Secundo, quia ipsi futuri erant primi testes passionis Christi et quidem spontaneæ ac prævisæ; doctores prius illuminat Christus, per hos postea indoctos.

Tertio, quia poterat alias contingere ut populus Christo addictus, undique conflueret et passionem ejus impediret, si eam prius cognovisset. Et sane si hæc tam indigna, quæ passurus erat, populo prædixisset, videri poterat populum velle permovere ad impediendam passionem suam

seque defendendum, vel certe concitare contra pontifices et seniores, a quibus erat passurus. Noluit ergo Christus turbas ciere, noluit impedire passionem suam.

IV. Sed cur toties Dominus passionis suæ mentionem facit? Jam enim tertio ejus meminit, primo, Matth. XVI. cum Petrum constituisset Ecclesie petram; secundo, Matth. XIX. cum post transfigurationem solvisset juvenem a dæmone; tertio, hoc loco, et demum in ultima cœna, alias etiam obiter et obscure sæpius. Resp. primo, ut res tam mira et stupenda quæque fundamentum salutis nostræ futura erat, memorie nostræ fortius imprimeretur et nunquam elaberetur. Hinc notantur apud Lucam, cap. IX. ait: *Ponite in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum*. Ac propterea etiam instituit s. eucharistiam, ut esset memoriale mortis ejus.

Secundo, ut indicaret quanto desiderio nostræ redemptionis teneretur: adeoque coarctaretur donec perficeret baptismum passionis suæ. *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, ait ipse Matth. cap. XII. Quod quis maxime amat, de eo sæpissime verba facit, nihil magis amavit Christum, quam opus salutis nostræ; de hoc ergo toties sermocinatur.

Tertio, ut nos etiam passionis ejus memores ssemus velut rei maximi momenti, e qua pendet salus nostra: quod sane fecere nostri majores dum passim in viis publicis erexere cruces et columnas, in quibus passio Domini repræsentatur, ut viatores transeuntes passim monerentur beneficii redemptionis ac debite pro eodem gratitudinis. Eodem fine statuuntur cruces ante portas urbium: mons Oliveti ante fores Ecclesie, etc. quæ dum amoliuntur hæretici, parum sese memores Dominicæ passionis, parum etiam gratos ostendunt.

V. Quomodo apostoli non intellexerunt verba Christi de passione, præsertim cum ob ea contristati sint vehementer, apud Matthæum, cap. XVII. ubi etiam de ea locutus fuit? Respond. credibile esse apostolos intellexisse quidem verba Christi, quoad amaram ejus mortem et crucem, indeque contristatos: quo modo etiam Petrus Matth. XVI. insinuaverat, dicens: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc*. Verum fines, causam et fructum passionis ejus minime intellexisse. Externam igitur verborum faciem solum attendunt, amarum corticem ederunt, ad nucleum non pervenerunt.

VI. Quare Christus Filium hominis se vocavit? Resp. primo, ut ostenderet se illum esse hominem, quem propheta humanam naturam assumpturum prædixerant et Filium hominis ap-

pellarant. Ita Epiphanius contra Noecianos, hæres. LVII. et Theodor. in Dan. cap. III. ubi sic appellatur Christus.

Secundo, ut ostenderet se vere hominem et filium Adam esse (Hebraice enim Ben Adam se vocat, id est, filium Adam) secundum D. Nazianzen. orat. IV. de theol. simulque humilitatem nos doceret, qui se Filium hominis tantum appellat; quod nomen abjectionis est Hebræis: quo modo nos dicimus: *Terræ filius*; idque inde confirmatur, quia Christus seipsum tantum, neminem alium hoc nomine compellavit: nec ab aliis ipse, sed a se tantummodo sic nuncupatus est.

Tertio, ut commendaret nobis ipso nomine, quod misericorditer pro nobis esse dignatus fuerit; (ita S. Aug. I. II. de consensu ev. c. I.) ut nos ad amorem sui, commemorata natura communi et fraternæ adoptionis dignatione, et ad imitationem tantæ humilitatis excitaret: *Qui cum in forma Dei esset (nostra tamen causa) semetipsum exinanivit, formam servi accipiens et habitu inventus ut homo*, Philip. II.

Quarto, ut insinuaret se peculiari ratione esse Filium hominis, non ut alii sunt et dici possunt, scilicet quia filius est unius tantum hominis, matris nimirum sine patre. Propterea Christus quando tribuit sibi hoc nomen tanquam propriæ personæ, addit articulum duplicem, q. d. illum filium illius hominis.

Quinto, ut ostenderet se hominem factum: quo totus esset noster, juxta id Isai. IX. *Filius datus est nobis*. Homini enim, non sui ipsius gratia natus est. Hoc sensu dicuntur alii filii nuptiarum et sponsi, alii filii mortis, quia nuptiis, sponso, morti addicti: viderint ergo qui non modo se divino cultui semper, sed ne per paucas quidem horas volunt dicare, quid illi responsuri sunt, qui se totum nobis tradidit et noster factus est.

VII. Quare cæcus vocat Christum Filium David? Resp. primo, ut insinuaret ipsum esse filium illum David, qui Judæis ex domo David promissus, adeoque Messias erat, sessurus super solium Davidis. Id enim ipsi Judæi fassi sunt; Christum scilicet esse filium David. Arguit ergo cæcus iste videntes Scribas et Phariseos, qui Christum pro filio illo Davidis seu Davidicæ stirpi promisso agnoscere noluerunt.

Secundo, quia David supra modum misericors erat, ita ut non solum parceret inimicis, verum etiam eorum mortem lugeret, eos defenderet, etc. Voluit ergo Christus revocare hoc vocabulo in memoriam misericordiam David patris ejus, ut eandem nunc in ipso posset experiri.

VIII. Cur interrogat Dominus cæcum: *Quid*

tibi vis faciam? qui utique sciebat visum ab eo expeti? Resp. primo, ut fidem ejus manifestaret cæteris in exemplum. Bona enim proximorum manifestanda, mala vero occultanda sunt.

Secundo, ut cæcus suam cæcitatem agnoscens et contestans agnosceret beneficium illuminationis a Christo mox accipiendum, suamque miseriam; atque ita gravior esset; alioquin vel ab iis, qui aderant et audierant de ingratitude arguendus. Nimirum sapientissimus Dominus sanationes corporum dirigere solebat ad sanitates animorum.

Tertio, ut Christus suam erga nos munificentiam et benefaciendi propensionem aperiret, dum quodammodo omnia offert, quidquid cæcus peteret, pro libitu ejus dandum, docens simul nos, ut non quæcumque et quomodocumque pauperibus largiamur, sed ea, quibus maxime egent, et ita benevole ac liberaliter ut nostra eleemosyna contenti esse possint.

Quarto, ut ostenderet quam sibi gratæ nobisque salutares sint nostræ preces, sine quibus non vult dare, saltem ordinarie; sunt enim illæ non solum impetratoriæ, verum etiam meritoriæ eorum honorum, quæ petuntur, et plurimum aliorum, quæ non petuntur.

Quinto, ut doceret, neminem se invitum velle salvare, nec absolvere a peccatis suis, qui ea non agnoscit, nec cum potest, aperit suo confessario. Sane leprosi in veteri lege non solum habitu externo lepram suam ostendere, verum insuper sordidos se clamare (voce utique) debebant, Levit. XIII. Unde ibi Chaldæus habet: *Clamabit: Non contaminemini, neque immundi sitis.* Ergo non satis est habitu peccatoris apparere coram sacerdote in tribunali confessionis, sed insuper etiam voce et verbis monstrandæ ei sordes; lepra enim veteris legis ejusque emundatio typus erat peccati et absolutionis sacerdotalis, quæ est in nova lege.

Sexto, ut sciremus cæcitatem corporalem non esse tantum malum, ut semper ab homine tolli debeat; siquidem ea multis profuit et pergrata fuit. Talis B. Petrus abbas Claravallensis, qui cum ex vi morbi unum oculum perdidisset, monoculus dixit: *Unum de inimicis evasi, et plus a residuo quam a perduto formido.* S. Aquilinus episcopus Ebroicensis cæcitatem a Deo petiit, quo melius cælestia contempleretur, et impetravit, et tamen episcopali munere in concionando egregie perfunctus, auctor vitæ; 19. octobris. S. Audomarus episcopus Teruani cæcus existens Atribati sub elevatione corporis S. Vedasti, meritis ejus lumen recepit; quod ægro animo eum ferret, rursus cæcitatem a Deo sibi postula-

vit et obtinuit; dicebat enim ad salutem suam a Deo sibi immissam fuisse, Sigibertus in chron. S. Herluca Bavara, cum adolescentula in corpore magis quam animo ornando esset studiosior, primum morbo, deinde cæcitate a Deo percussa, ad cor rediit, a vanitate ad sanetimoniam transiit. Monita deinde divinitus, ut orbem cereum ad S. Cyriaci m. tumulum pro altero oculorum recuperando votum mitteret, misit, recepit; tam acute ad ultima vitæ tempora vidit, ut aquilas et lynces superaret, nec eum ulla vi lacrymarum, quas uberrimas profundeabat, corrumpere, neque minutissima telæ acpictura hebetaret: altero tamen caruit semper, ne culpam utriusque olim amissi ex animo deleteret. Ita ex chronicis refert P. Gretserus, in appendice, Greg. VII. et Raderus, in viridar. part. III. cap. III.

Cum ergo oculorum cæcitas sæpe magis quam lumen prosit, noluit Dominus nisi rogatus cæcitatem mendici abstergere. Innumeri sunt, quos oculi male custoditi detrusere in infernum, qui si cæci fuissent, forent jam in cælo. Hinc in vitis patrum S. Antonius reprehendit cæcum quemdam Didymum nomine, in s. Scriptura cæteroqui versatissimum, quod de sua tristaretur cæcitate: « Miror, inquit, prudentem virum ejus rei dolere damno, quam formicæ et pulices habent; et non potius lætari illius possessione, quam soli sancti et apostoli meruerunt: multo enim melius est spiritu videre, quam carne, et illos oculos possidere, in quos festuca peccati non possit incidere, quam illos, qui solo visu per concupiscentiam possunt homines in interitum gehennæ mittere. » Cordate et sapienter S. Pignenius Romanus presbyter cæcus occurrens Juliano imperat. apostatæ dicenti: *Gratias ago diis, o Pigneni, quod te video,* respondit: *Gratias ago Deo meo, quod te non video.* Tam igitur forti animo cæcitatem pertulit, quam tyrannum contempsit; factus deinde martyr videre cæpit, quæ oculus non vidit.

IX. Quid mystice notat hic cæcus? Respondet primo, S. Gregorius, hom. II. designare genus humanum lapsum in Adamo. « Cæcum quippe est genus humanum, quod in parente primo a paradisi gaudiis expulsum claritatem supernæ lucis ignorans damnationis suæ tenebras patitur: sed tamen per redemptoris sui præsentiam illuminatur: ut internæ lucis gaudia jam per desiderium videat, atque in via vitæ boni operis gressus ponat. Notandum vero est, quod cum Jesus Jericho appropinquare dicitur, cæcus illuminetur. Jericho quippe luna interpretatur: luna autem in sacro eloquio pro defectu carnis

ponitur; quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. Dum igitur conditor noster appropinquat Jericho, cæcus ad lumen rediit; quia dum divinitus defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus, quod lumen amiserat, recepit. Unde enim Deus humana patitur, inde homo ad divina sublevatur. Qui videlicet cæcus recte et juxta viam sedere, et mendicans esse describitur. Ipsa enim Veritas dicit: *Ego sum via.* Qui ergo æternæ lucis claritatem nescit, cæcus est; sed si jam in redemptorem credit, juxta viam sedet; si autem jam credit, sed ut æternam lucem recipiat, rogare dissimulat, atque a precibus cessat cæcus quidem juxta viam sedet, sed minime mendicat. Si vero et crediderit, et cæcitatem cordis sui cognoverit, sed ut lumen recipiat, postulat: juxta viam cæcus sedet et mendicat. »

Ex quadam Christi parabola scimus hominem lapsum descendisse ab Jerusalem in Jericho et incidisse in latrones. Nunc prope urbem Jerichuntinam invenit Christus hominem illum in hodierno cæco, et itinere converso a Jericho in Jerusalem ascendit ut eodem reducat hominem lapsum per passionem suam, unde ille excederat.

Resp. secundo, designare quemvis peccatorem; nam: *Quodammodo cæcus est* (ait Richardus Victorinus) *qui peccare non timet, quia futura mala non*

prævidet: non erubescit pravitatem suam, nec expavescit divinam potentiam, etc. Cæcus, licet gladii in ipsum distringantur, tigrides et leones incurrant, non timet, quia non videt.

Porro hic primo, sedet, quia in peccatis suis hæret et conquiescit, sedet, inquam, in cathedra pestilentie juxta id Psalm. I. *In cathedra pestilentie non sedet.*

Secundo, sedet is juxta viam; quia in hac vita, quæ via est non terminus, sedem ac quietem, seu manentem sibi civitatem quærit, vel sedet secus viam mandatorum Dei, quæ non observat.

Tertio, mendicat deinde a mundo obolos et frustella panum, hoc est, fluxa et vilissima bona, opes, honores, voluptates, quæ plerumque non nisi maximis precibus, servitiis, obsequiis et laboribus parantur.

Quarto, audit strepitum turbæ Christum comitantis, quia videt undique exempla piorum cum Christo ambulantium, quibus si non excitatur, non solum cæcus, sed et surdus est atque obstinatus.

Quinto, occasionem oblatam arripit, et Christum invocat non quomodocumque, sed ardentem, adhibito clamore, et perseveranter, non curans hominum minas. Quod utinam omnis peccator faceret, lumen absque dubio animæ suæ, gratiam, non difficile impetraturus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

INANE STUDIUM EORUM, QUI HOC TEMPORE
SECTANTUR MUNDI GAUDIA.

I. Quia lucrantur inane marsupium. — II. Laborem inanem. — III. Læsam et perturbatam conscientiam. — IV. Finem mœstum et funestum.

THEMA.

Quid tibi vis faciam? Domine ut videam. Luc. XVIII.

Sanctus Antoninus, II. p. sum. hist. tit. XVII. c. V. § III. refert S. Bernardum abbat. habuisse inter suos monachum, qui in sæculo fuerat lator et homo dissolutus, eumque maligno stimulatam spiritu redire ad sæculum petiisse. « Cum autem B. Bernardus eum retinere non posset, interrogavit eum unde victurus esset. Qui respondit: Ad taxillos ludere scio, et inde vivere potero. Et ille: Si tibi capitale commisero,

vis singulis annis ad me redire, et lucrum meum mecum dividere? Quod audiens gavisus est, et libenter se sic acturum promisit. Viginti quinque igitur solidos ei dare præcepit, et ille cum illis abiit. Hoc autem faciebat vir sanctus, ut eum iterum revocare posset, sicut postmodum factum est. Ille igitur abiens totum perdidit, et ad portam confusus monasterii rediit. Quo audito vir Dei lætus ad eum exivit, extenditque gremium, ut simul divideret lucrum. Cui ille: Nihil lucratus sum, pater, sed etiam capitali vestro nudatus sum: si vultis pro vestro capitali me recipere? Cui Bernardus benigne respondit: Si ita est, inquit, melius est ut te recipiam, quam simul utrumque perdam. » Ita Antoninus. Videntur huic lusori persimiles esse ii qui his diebus cum mundo et mundi sectatoribus sese oblectare, ludere, saltare, potitare, stultescere et insanire volunt. Petunt hi non eum cæco hodierno: *Domine ut videam,* sed cum lusore illo: *Dimitte me abire*